



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 47. Cælii Piccolominei Cardinalis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

Leopoldi I. a confessionibus esse iussus, *Sæc. XVII.*
 ipsam Mariam Annam Philippo IV. Regi *A. C. 1681.*
 desponsatam in Hispaniam comitaretur:
 Quamdiu Rex vita superstes erat, Ni-
 dardus universæ Aulæ cumulate satis-
 fecit, eo autem vivis sublato, cum Re-
 ginæ animo dominari, Regnumque pro
 supremo arbitrio administrare argueretur,
 ab Aulæ Proceribus, præcipue
 Joanne Austriaco tam dire impeteba-
 tur, ut dimisso Inquisitoris Generalis
 officio a Regno exulare cogeretur, ne-
 quaquam tamen ab Hispaniæ Regina
 derelictus, ad cujus preces Edessen-
 sis Archiepiscopus, ac demum Cardinalis
 renuntiabatur, tandem vero annis æ-
 que ac meritis gravis anno ætatis suæ
 septuagesimo quarto decessit. Edidit
 Nidardus quædam in laudem immacu-
 latæ Conceptionis.

§. XLVII.

*Cæli Piccolominei Cardinalis ex-
trema.*

Hunc pari mortis necessitate sequeba-
 tur Cælius Piccolomineus patria *Old. in con-
tin. Ciacom.*
 Senensis, qui literis insigniter imbu-
 tus, ac Doctoratus laurea, & Magistrali *in vit.*
 Cathedra in Senensi Gymnasio donatus, *Alex. VII.*
 ab Urbano VIII. Camera Apostolicæ
 Prælatus renuntiabatur, ab eodemque
Hist. Eccles. Tom. LXIV. Rr ad

Sæc. XVII. ad sedandos belli tumultus circa Ca-
A.C. 1681. strum exortos Legatus ad Ludovicum

XIV. Franciæ Regem decernebatur:
Mortuo autem hoc Pontifice, cum for-
tunæ cursum interruptum cerneret,
rursus defendendis forenlibus causis
animum applicuit, donec reflorescente
fortuna sub Alexandro VII. intimus Cu-
bicularius, libellorum supplicum Ma-
gister, Basilicæ Vaticanæ Canonicus,
ac demum Cæsareensis Archiepiscopus
crearetur, quo munere auctus, ab eo-
dem Pontifice in Gallias mittebatur,
ubi mira sua prudentia animique can-
dore Franciæ Regem Pontifici propen-
sum reddidit, eumque suspenso in Cæ-
sarem bello ad ineundum foedus contra
Turcas permovit, exortamque inter
Corfos & Gallicos milites contentionem
feliciter sedavit: unde in rei bene gestæ
præmium Romana Purpura, atque Ex-
archatus Ravennatensis Præfectura de-
coratus, utrumque munus cum ma-
ximo decore, justitiæ encomio, & po-
pulorum proventu sustinuit: variis de-
mum ac præcipuis Patrum Cætibus ad-
scriptus, necnon Senensi Insula dona-
tus, ibidem die vigesima quarta Maij
annos natus septuaginta duos meritis
ac senio gravis mortalitatem exiit:
Scripsit varia ad jurisprudentiam spe-
ctantia, tersas epistolas, carmina

Etru-

Etrusca, orationes, acta suarum legationum, & nonnulla alia.

Sæc. XVII.
A. C. 1681.

§. XLVIII.

Petri Vidoni Cardinalis funus.

Ambos hosce Cardinales æternitatis itinere præcesserat Petrus Vidonus patria Cremonensis, qui in celebrioribus Italiæ Academiis sacratiores literas promerita etiam laurea hausit, atque in ipso Juventutis flore ab Urbano VIII. ad summas administrationes, ardua Ecclesiæ negotia, & ad varias urbes moderandas adhibitus est. Rexerat etiam verus Pastor Ecclesiam Laudensem, quam non modo sacra suppellectile exornavit, sed etiam ære alieno pressam suis pecuniis liberam reddidit, populumque optimis legibus, moribusque instruxit: inde vero ab Innocentio X. Romam evocatus, ad Joannem Casimirum Poloniæ Regem Apostolicus Sacræ Sedis Nuntius decernebatur, qua legatione strenue defunctus, ab Alexandro VII. Cardinalium Collegio adscriptus est, paulopost ad Bononiensem Legationem nominatus, cui, cum per triennium, necnon variis Cardinalium Congregationibus præfuisset, Romæ die sexta Januarii vivis valedixit, anno ætatis suæ septuagesimo primo.

R r 2

§. XLIX.